



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

II. Quo jure, & ex quibus rebus solvendæ sint Decimæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

Oblatio remanet quodammodo voluntaria, saltem quoad quantitatem, vel speciem rei oblatae.

QUÆSTIO II.

Quo jure, & ex quibus rebus solvenda sint Decimæ?

14. **C**ONCL. I. Decimæ secundum substantiam spectantur, quatenus videlicet sunt necessarium stipendium Ministrorum Ecclesiæ, ad ipsorum sustentationem requisitum, debentur ipsis Jure naturali, ac Divino: quatenus vero spectantur secundum quotam, sive determinationem suam (id est, quod debeat dari ipsamet pars decima fructuum) tempore Legis Mosaicæ debebantur Jure Divino positivo; tempore vero Legis Evangelicæ duntaxat Ecclesiastico, licet antiquissimo, utpote ab Apostolis derivato. Ita Doctor Angelicus 2. 2. q. 87. art. 1. & alij passim, paucis exceptis. Ratio primæ partis desumitur ex cit. verbis Christi, Matth. 10. *Dignus est operarius cibo suo*, cum concordantijs. Altera vero pars, loquens de Lege Mosaicæ, patet ex c. 27. *Levit.* & alijs pluribus locis.

25. Tandem ultima pars, seu quod in Lege Evangelica debeantur Decimæ secundum quotam spectantur Jure Ecclesiastico, patet tum ex plurimis textibus Juris Canonici jam allegatis, vel in progressu allegandis. Tum ex eo: quia, si Decimæ simpliciter essent Juris Divini, non posset earum obligatio tolli per privilegium Summi Pontificis, aut contrariam consuetudinem: atqui hoc fieri posse, patebit ex dicendis *Quæst. IV.*

16. Nec dicas. In Jure Canonico c. *Parochianos. de Decimis*, expressè dicitur: *Decima non ab homine, sed ab ipso Deo sunt instituta*: juncto c. *Tua. eod. ibi*: *Decima divinâ constitutione debentur*; ergo non solum Jure Ecclesiastico. Resp. enim, hujusmodi auctoritates vel accipiendas esse de Decimis secundum suam substantiam spectatis, & quatenus sunt necessarium stipendium Ministrorum Ecclesiæ. Vel dicendum, quod velint, Decimas Jure Divino deberi, non directè ac immediatè pro statu Legis Evangelicæ; sed solum remotè ac occasionaliter, quatenus ad imitationem Legis Divinæ, pro veteri Testamento statuta, ad necessariam Ministrorum Ecclesiæ sustentationem, per Constitutionem Ecclesiasticam sunt denuò constituta.

Solvitur in-
stantia con-
tra Decimas.

17. Quòd si dicas. Cæremonialia veteris Legis jam sunt e-
vacuata, & defacto illicita observatu, c. *Maiores. de Baptismo.*
Resp. cum Doctore Angelico *loc. cit.* Præceptum de solutione

Decimarum non fuisse cæremoniale, sed partim morale, partim
judiciale. Et quatenus morale, fuit inditum à Lege naturali, at-
que à Christo in Lege Evangelica renovatum, Matth. 10. *Dignus*
(a) *Vide* est operarius cibo suo, cum concordantijs. Quatenus verò judiciale
dicitur Tract. erat, nempe secundum quotam, seu quoad determinationem de-
2. *Dist. 2.* cimæ partis, est renovatum auctoritate Ecclesiæ: sicque illud
n. 9 & 10. defacto obligat ex vi novi præcepti Ecclesiastici. (a)

Decimæ ex
quibus re-
bus debean-
tur?

18. CONCL. II. Spectato Jure communi debentur Decimæ
ex omnibus, quæ licitè acquiruntur. Ita habetur c. *Extransmissa.*
de Decimis, ibi: Fidelis homo de omnibus quæ licitè potest acquirere, Deci-
mas erogare tenetur; & alibi. Dicitur, quæ licitè acquiruntur; nam
de acquisitis per furta, simoniam, usuras, opus meretricium, ac
hujusmodi, Decimæ non debentur; imò nec possunt recipi, ne
Clerici censeantur approbare peccatum alterius, ut notat Glossa
ibidem, §. licitè Hinc c. Non est putanda. 1. q. 1. notanter dicitur;
Honora Dominum de tuis justis laboribus.

Declaratur
hoc.

(b) *Videtur*
Quest.
4. per to-
tum.

19. Additur autem, *spectato Jure communi.* Siquidem varijs
ex causis hæc obligatio solvendi Decimas, utpote ex Jure Eccle-
siastico proveniens, tolli potest, & aliquis (b) à præstatione De-
cimarum eximi, vel ex parte, vel etiam in totum: dummodò
Ministri Ecclesiæ aliunde congruam habeant sustentationem,
ut putà ex sufficientibus redditibus Fundationis Ecclesiæ, Obla-
tionibus, aut Legatis pijs.

Decimarum
divisio.

20. CONCL. III. Decimæ dividuntur in prædiales, perso-
nales, & mixtas. Ita communis. Siquidem quantum est de Ju-
re communi, debentur Decimæ de vino, grano, fructibus arborum, pe-
coribus, hortis, negotiatione, de ipsa etiam militia, de venatione, & de omni-
bus bonis; prout his ipsis verbis habetur c. *Non est. de Decimis, cum*
concordantijs. Itaque

Decimæ
prædiales,
Personales,
&c.

21. *Decimæ prædiales* sunt, quæ persolvuntur ex prædiorum,
aut arborum fructibus, obventionibus molendinorum, vel ædi-
um locatarum, & hujusmodi. *Personales* dicuntur, quæ ex rebus,
quas quisque sibi induitriâ & operâ suâ acquirat, persolvuntur;
v. g. ex lucro honestæ negotiationis, venationis, militia, &c.
Mixtæ quæ *Decimæ mixtæ* vocantur illæ, quæ partim prædiales, partim perso-
nales sunt, a cujuscumque sunt quæ debentur ex fructibus pecorum,
veluti ex foetu, lana, lacte, &c.

22. Porrò Decimæ prædiales differunt à personalibus, quòd illæ itatim, atque collectæ sunt, solvi debeant: & quidem integræ absque deductione impensarum, quæ fieri solent in colendis prædijs vel agris, & colligendis fructibus, arg. c. Cum sint homines. & c. Tua nobis. & c. Pastoralis. cod. Econtra Decimæ personales solvuntur deductis prius expensis, utpotè cum residuum duntaxat censeatur esse fructus, seu lucrum, cit. c. Pastoralis. Insuper Decimæ prædiales sunt solvendæ Parocho, in cuius Parochia fructus crescunt, & colliguntur, quamvis colonus alibi habitet: Personales autem solvuntur Ecclesiæ, s. u. Parocho, in cuius Parochia quis audit Divina, & percipit Sacramenta Ecclesiastica; nisi consuetudine, conventionem, aut privilegio aliud fieri oporteat, cit. c. Cum sint homines. de Decimis.

Decimæ prædiales & personales quomodo, & quibus solvenda?

QUÆSTIO III.

Quibus solvenda sint Decimæ?

23. Quæstio præsens procedit præcipuè pro moderno statu, quo facta supponitur divisio bonorum Ecclesiasticorum in quatuor partes (c) ipsarumque distinctio Parochiarum: nam antea Decimæ debebantur Ecclesiæ, sive cœteri Clericorum in communi, & præstabantur Episcopis cujuslibet Diœcesis, qui eas inter Clerum & Ministros suæ Ecclesiæ, pro cujuslibet meritis & necessitate, justè fidelitèrque distribuere tenebatur, arg. c. Episcopus. & c. Præcipimus, 12. q. 1. juncto c. Decimas, 16. q. 7. cum concordantijs.

Antiquitùs Decimæ solvebantur Ecclesiæ, per Episcopos Clericis distribuendæ. (c) Vi dicti Tract. 7. dist. 4.

24. Siquidem Episcopi soli pro illo tempore erant Parochi, quibus totius plebis Diœcesanæ cura imminebat: cæteri autem Presbyteri, veluti ipsorum Coadjutores, ad nutum eorumdem Episcoporum modò in hac, modò in illa parte Diœcesis Pastorale Officiùm exercebant, arg. cap. in novo, dist. 21. & notat Barbosa lib. 3. Juris Ecclesiast. univ. cap. 26. §. 2. num. 4. Postmodum verò, factâ illâ reddituum Ecclesiasticorum divisione, Parochiæ singulæ singulis Presbyteris fuerunt constitutz, singulisque Parochiis propria territoria per suos terminos assignata, in quibus cuilibet Presbytero tota suæ Parochiæ cura remaneret, prout habetur c. Ecclesiæ, 13. q. 1. Et de hoc tempore, sive post divisionem bonorum Ecclesiasticorum, & Parochiarum distinctionem loquendo, sit

n. 30. Tunc soli Episcopi erant Parochi: ceteri defactò.

